

Alte Drucke

**CONCIONES || IN EVANGELIA || ET EPISTOLAS, QVAE || per
totam Quadragesima[m] populo in Ecclesia || proponi
solent, è Tabulis F. Iacobi Veldy ...**

Prielee, Gilles vanden

Parisiis, 1567

FERIA QVARTA POST DOMINICAM PASSIONIS, EPISTOLA, Leuitic. 19.

Nutzungsbedingungen

Die Digitalisate des Francke-Portals sind urheberrechtlich geschützt. Sie dürfen für wissenschaftliche und private Zwecke heruntergeladen und ausgedruckt werden. Vorhandene Herkunftsbezeichnungen dürfen dabei nicht entfernt werden.

Eine kommerzielle oder institutionelle Nutzung oder Veröffentlichung dieser Inhalte ist ohne vorheriges schriftliches Einverständnis des Studienzentrums August Hermann Francke der Franckeschen Stiftungen nicht gestattet, das ggf. auf weitere Institutionen als Rechteinhaber verweist. Für die Veröffentlichung der Digitalisate können gemäß der Gebührenordnung der Franckeschen Stiftungen Entgelte erhoben werden.

Zur Erteilung einer Veröffentlichungsgenehmigung wenden Sie sich bitte an die Leiterin des Studienzentrums, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)

Terms of use

All digital documents of the Francke-Portal are protected by copyright. They may be downloaded and printed only for non-commercial educational, research and private purposes. Attached provenance marks may not be removed.

Commercial or institutional use or publication of these digital documents in printed or digital form is not allowed without obtaining prior written permission by the Study Center August Hermann Francke of the Francke Foundations which can refer to other institutions as right holders. If digital documents are published, the Study Center is entitled to charge a fee in accordance with the scale of charges of the Francke Foundations.

For reproduction requests and permissions, please contact the head of the Study Center, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)

urn:nbn:de:gbv:ha33-1-150295

FERIA QVARTA

concepto ita excæcati, vt ne nominari quidem ipsum sustinerent: quod nō sine iusto Dei iudicio accidisse putabimus. Indigni etenim erāt, qui Sacrosanctū illud nomen, quo nō est aliud sub celo datū hominibus, vel sanctius vel diuinius, quo possent salui fieri, nominarent. Proinde vago murmure murmurantes, dixerūt, *Vbi est ille?* Id enim odio propriū est, vt vel meminisse horreat eius quem oderimus: Sed hoc facto suo docet Christus fidos verbi sui ministros non debere propter odium impiiū a veritate fidei, vel latum vnguem discedere.

FERIA QVARTA POST DOMINI

CAM PASSIONIS, EPISTOLA,

Leuitic. 19.

Exod. 20.

Deut. 5. &

24.

Ecd. 10.

Tob. 4.

Non facietis furtum. Non mentiemini: nec decipiet vnusquisque proximum suum. &c. Finis Epistolæ: Diliges amicum tuum sicut teipsum. Ego Dominus.



CONTINET hæc Epistola præcepta secundæ tabulæ, ea scilicet, quæ ad præsentis vitæ publicam tranquillitatem spectant. Sunt autem eius præcipua capita quatuor.

Anabaptistarum somnia de rerū cōmuniōne.

1 Primò, Authoritate sua interposita, prohibet ea omnia Deus, quæ proximo damni aliquid afferre possent, dum ait, *Non facietis furum*, quod sit ablatione rei alienæ, inuito Domino. *Non mentiemini*, quod sit falsa significatione cum intentione fallendi. *Non decipiet vnusquisque proximum suum*, quod sit, dum fraude quis circumuenit in negotio fratrem suum. Pulchrè autem hæc præcepta confutant & Platonis, & Anabaptistarū somnia de rerū cōmuniōne. Si enim, vt illi volunt, priuata bonorū possessio cum verbo Dei pugnet, nequaquam prohiberet Deus furtum, mēdaciū, & fraudem, omnesque malas artes, quibus ea, quæ iure proximus possidet, malo titulo inuadere nitimur. Neque enim fraus vlla cōmitti potest, vbi omnia esse cōmunia iudicatur. Atqui, vt significaret Deus priuatā bonorū possessionem esse legitimā, prohibet ablationē, & cōcupiscentiā rei alienæ: imò eū, qui præceptū hoc violasset, vult, Exod. 22. ad restitu-

tionē in quadruplū cogi: venundari, si non habeat vnde reddat: & occidi, si noctu feras, vt furetur, effringat.

2. Secundō, Quia plerunque soleant homines auctoritate nominis diuini interposita, proximos fraude, dolo, & deceptione circumuenire in contractibus vel licitis, vel illicitis, in venditione rerum malarum, putrium, corruptarum pro bonis, & in negotiatione, in qua difficilē exiit quis à negligentia, Eccles. 26. Idcirco grauissimē prohibet Dominus, ne quis Sacrosanctum ipsius nomen temerē assumat, quod sine maximo peccato fieri nequeat, ipsum qui summa veritas est, mendacij testem facere. Ideō inquit, *Non periurabis in nomine meo, & non pollues nomen Domini Dei tui*. Atqui hodie tantus est horum neglectus, vt ludus sit abuti Dei nomine, in re futili & leuissima, vt meritō dicat Sapiens, Eccles. 26. Non iustificabitur caupo à peccatis labiorum: quum Apostolus, 2. ad Timoth. 2. velit quā alienissimos esse ab iniquitate, dolo, & periurio, eos, qui inuocant nomen Domini. Ceterum prohibet Dominus non tantum eas fraudes, quæ in contractibus solent committi, sed etiam quæ ex inuidia suboriri solent, calumnias, criminationes, & accusationes falsas, quibus tum corpus, tum fortuna, tum etiam familiæ in discrimen adduci solent.

3. Tertiō, Ne quid vel ad iustitiam, vel ad conscientie tranquillitatem deesset, mercenario peracti operis mercedem reddi iubet, quia hoc peccatum clamat ad Dominum, & intrat ad aures Dei, Iacobi 5. hoc est, vindictam & diuinam ultionem exigit in eos, qui miseris operariis ex pacto, & cōuentione pollicitam mercedem, vel soluere differunt, defraudant minus numerando, ac prorsus debitum pernegant, freti, scilicet, ea qua polent dignitate, potentia, & auctoritate. Huiusmodi enim plerunque videas, vt loquitur Iacobus cap. 5. per potentiam opprimere pauperes, imō miseros, si debitū exigant, pertrahere ad iudicia, Iacobi. 2. & iudicum auctoritate, quam sibi plerunque propitiam habent, coercere. Cuius quanta sint hodie exempla, abundē satis fora & tribunalia, ac miserorum lachrymæ testantur, nec non furdo maledici, aut cæco poni offendiculum pro-

*Mercenario
merces red-
denda,*

FERIA QVARTA

hibet. Intelligit autem surdos & cecos eos, qui vel rudes sunt & ignari, vt dolos & fraudes prudentium huius seculi, aut non intelligant, aut non animaduertant, & absentes non possunt falsis accusationibus, calumniis, iniuriis, detractionibus respondere. Proinde quum hæc grauissima peccata ex neglectu timoris Dei oriantur, timorem sui inculcat Deus. Nam qui Deum cogitat peccatis offendi, & ipsum, quia iustus est, ea velle punire, hic faciliè & animum, & linguam, ac manum ab his continebit, quæ Deo displicere intelligit, si non amore iustitiæ, saltem metu poenarum.

Magistra-
ma.

4. Quarrò, Quia potissimum Reipublicæ felicitas non tantum ex priuatorum hominum modestia pender, sed ex legitima magistratus, & iudicum functione, quorum auctoritatem perpetuò esse voluit Sacrosanctam. Ipsi quoque, quanquam non desint, qui omnia hæc ad priuatos etiam referre velint, sua præscribit officia, inquit, *Non facies quod iniquum est, nec iniuste iudicabis: Non consideres personam pauperis, & non honores vultum potentis.* Pariunt enim hæc vitia grauissimos in Repub. motus & seditiones. Committuntur autem plerunque hæc vitia iudicū vel ambitione, vel amore diuitū, vel avaritia, dū spe vel munerū, vel sportularū subuertunt iudicia. Ceterum his nō cōtensus Deus, rursus priuatos monet, dicens, *Nō eris criminator, nec susurro in populis,* vt scilicet, suscites dissidia, seditiones, & bella, & non stabis contra sanguinem proximi tui, vt scilicet, falso testimonio, falsa calumnia ipsius mortem procures, quia ego Dominus, inquit, qui ultor huiusmodi criminū ero, nec patiar ea esse inulta.

FERIA QVARTA POST DOMINICAM
PASSIONIS, EVANGELIUM, IOHAN. IO.

I. Mac. 4.

Facta sunt autē Encenia in Hierosolymis, & hyems erat, &c. Finis Euāgelij: Vt cognoscatur & credatis, quia pater in me est, & ego in patre.
O c Euāgelio Christus arguit Iudeorū horrendam cæcitatem, ac sese verū Dei Patris filium ostendit: quem scilicet, Pater in mundū miserit, vt prædestinatos & electos, eripe



ret de potestate tenebrarū. Agit autē Christus quatuor.

1. Primò, dum festo Encaniorum, quod in memoriam templi post transmigrationem Babyloniam instaurati fuit institutum, 1. Machab. 4. ambulat, tanquam verus Rex pacis, qui inimicitias nostras soluit in carne sua, Ephes. 2. in porticu Salomonis: vt facto suo etiam loca sacra non esse temerè profananda doceret, quum orationibus, & sacrificiis Deo offerendis expresso suo verbo ea consecraret, ac profanata ipse purgaret, Iohan. 2. Matth. 21. Lucæ 19. Hic igitur Christus Iudæorum quæstioni proposita ex odio, malevolentia, inuidia, & curiositate, atque calumniandi causa potius quàm studio amore, vel desiderio veritatis, respondet incredibili quadam mansuetudine, ne quam de peccatis excusationem afferre possent. Nam apertè se Dei filium, Christum, & Messiam in lege promissum sublata omni verborum ἀπολογία, aut parabolis demonstrat: significans ipsam fidei veritatem & inimicis, & amicis, vbi salutis periculum subesse posset, non suppressendam. Nam qui merabuerit, & meos sermones, hunc filius hominis erubescet, càm venerit in maiestate sua, Lucæ 9. Quanquam certò sciret non meliores, sed longè deploratiores eos euasuros. Potest tamen, vt ostendit Augustinus lib. de bono perseueran. cap. 16. fidelibus subesse causa & dicendi, & tacendi. Verum sicut & Christus non vbique etiam rogatus veritatem aperuit, sed quandoque subtrixit: vt Lucæ 20. Neque ego dico vobis in qua potestate hæc facio.

2. Secundò, Doctrinam, qua sese verum Dei filium, & Messiam in lege promissum esse demonstrat, docens sublimiorem esse quàm vt humano ingenio apprehendi possit: imò ne ex ipsa quidem operum cōsideratione, quæ supra naturā, & in nomine Patris faciebat, ac iuxta Prophetarū oracula, Isa. 36. Frustra enim externa foris oculis sese ingerūt, nisi diuino afflatu animum illustrēt, Aug. 15. de Ciuit. ca. 6. Damnat itaq; Christus in Iudæis obstinatā voluntatem, deliberatā malitiā, & mētis auersionē: quibus manifestæ veritati ne crederēt restiterūt, ac ne oues, id est, electi essent, obstiterūt: Nā licet prædestinationis nulla esse causa queat, nisi sola Dei miseri

*Doctrina,
qua Christi
sese verum
Dei filiū
ostēdit,
sublimior
est, quàm vt
possit huma
no ingenio
apprehendi.*

cordia : reprobationis tamen iustissima est præter originale culpam, in adultis impia voluntas. Malè ergo ex hoc loco (*Nò creditu, quia non estis ex oibus meis*) quidā colligunt Deum incredulitatis, impietatis, & reprobationis humanæ esse autorem. Neque enim Deus volens iniquitatem ipse est, Psalm. 5. sed iustissimus vindex, apud quem nulla est iniquitas impunita. Ipsorum itaque malitia effecit, vt inter electos non essent: id quòd oblatam gratiam relicerent, semper rebelles lumeni. Porro per antithesin elegantur docet quæ sint electis, quos sub metaphora ouium intelligit, propria: scilicet, audire vocem Christi, *Oues meæ vocem meam audiunt*, inquit Psalm. 84. cognosci à Christo: *Et ego cognosco eas*, Ezech. 9. sequi Christum, scilicet, fide, spe, charitate, vita, moribus, abnegatione sui, contemptu rerum terrenarum, crucis tolerantia, Matth. 10. accipere à Christo vitam æternam, non perire in æternum. Hi sunt inextimabiles allati per Christum thesauri, quos mundus nò potest accipere, quia non nouit eum, per quem sunt parati, scilicet, ante mundi constitutionem electi, quos præsciuit conformes fieri imaginis filij sui, Rom. 8. quos & prædestinauit, & vocauit vocatione sancta, vt essent Sancti, & immaculati corà ipso, quos denique iustificauit, concessa peccatorum remissione, auxilio gratiæ: quò sit, vt omnia ipsis cooperentur in bonum. Iusti enim etsi cadant, non tamen colliduntur, quia Dominus supponit manum suam. Audiunt enim vocantem Christum, illum sequuntur, toti ab ipso dependent, illi fidunt, atque hunc tanquam Pastorem, qui pascat eas in iudicio & iustitia, verbo vitæ, & alimonia sacramentorum in pascuis vberimis Ecclesiæ, amplectitur: nec alienum sequuntur, sed fugiunt ad eum: quia hunc non solum agnoscunt mortis & vitæ Dominum, qui suos seruat, ne pereant in æternum.

3 Tertiò, Ne immensa hæc beneficia imaginaria quis tantum crederet esse somnia, vt certius fidem dictis faceret, docet ea non à sua tantum humanitate expectanda, quam humilem, & abiectam cernebant, sed diuinitatis suæ potentia, cui aduersaria nulla potestas præualere queat, vt electos Christo eripiat, habeat licet diabo

lus mille nocendi artes, scilicet, voluptates, miseriam, paupertatem, exilia, equuleos, & mortem, quibus veluti machinis seducere nititur (si fieri posset) electos, operam luserit. Christus enim vicit mundum, is oues & faucibus vrsi & leonis, vt David, 1. Reg. 18. eruit electas, de potestate scilicet tenebrarum, & transtulit in regnum filij dilectionis suae, vt non immerito cum Apostolo dicant, Quis nos separabit, Rom. 8. Quisquis ergo perit sua culpa, non infirmitate protegentis. Dominus mihi adiutor, non timebo quid faciat mihi homo, Psalm. 117. Ac ne quid diffidentiae, vel pusillanimitatis subrepere pijs animis possit ex tanta hostium numerositate ac robore, quibus se imperi sentiunt indies, sed audentiores, ac succincti lumbos mentis in veritate stent, hortatur vt in fide, spe, & charitate, stabiles maneant: siquidem & Patris aeterni potētia tuti sunt, Hier. 49. Eadem enim est & Patris & filij secundum diuinitatem potentia, eadēque natura. Hoc enim est, *Ego & Pater vnum sumus*. Item, *Nemo rapiet de manus Patris mei*. Est enim eadem vtrique secundum diuinitatem voluntas, potentia, natura, & essentia: licet secundum humanitatem, filius dicatur minor Patre.

4. Quarto, Furori Iudaeorum, quem ex veritate verbi conceperunt, ita vt ad lapides conuolarent, quibus veritatem opprimerent, non cedit, sed magna potentia resistit, vt re ipsa demonstraret malitiam, & tyrannidem tum Daemonum, tum hominum non posse pro sua libidine grassari, & opprimere electos, sed nutu, & potentia Dei coerceri, ne tantum quam velint laedant: vt videtur in Abraham, Dauidis, Eliae, Apostolorum, & Martyrum persecutionibus, quas Dei arbitrio tantum contigisse docent scripturae. Deinde suauissima oratione, & rationibus efficacissimis ipsorum ingratitude vult conuincere, & suam in omnibus innocentiam demonstrare. Siquidem nihil supplicio dignum perpetrasset, quando omnia sua in Reipublicae vtilitatem, & commodum contulisset, quod ne ipsi quidem, licet insani, & inuidi, negare poterant. Sed vt est temeraria & princeps humana audacia, dum spiritu Dei non regitur, audent blasphemiam interpretari, quae non nisi diuina potentia

*Tyrannidem
tum Daemonum, tum ho-
minum, in ho-
minum op-
primere ele-
ctos non po-
test.*

FERIA QVINTA

fieri iudicauerant. Christus autem, vt suos in fide confirmaret, & ratione, & scripturarum autoritate suam doctrinam confirmat, quā permittit ex miraculis iudicari.

FERIA QVINTA POST DOMINICAM PASSIONIS, EPISTOLA, Danielis 3.

Oravit Daniel ad Dominum dicens, Ne quaesumus, tradas nos in perpetuum propter nomē tuū: & ne dissipēs testamentum tuum, neque auferas misericordiam tuam à nobis, &c. Finis Epistolæ: Et sciant quia tu es Dominus Deus solus, & gloriosus super orbem terrarum.



^Ac Epistola verus orator Daniel, tria agit. 1. Primò, sustinens personam populi Israëliti, in captiuitate Babylonica, miserè afflicti, humili oratione Deum suarum promissionum commune facit, dicens, *Ne despicias Domine populum tuum: Ne dissipēs testamentum tuum: Ne auferas misericordiam tuam à nobis, propter Abraham dilectum tuum, & Israël Sanctum tuum.* An quæso tanti sunt apud Deum Sanctorum merita, vt ipsis in oratione fidere possimus? Iniuriā me meritis Christi, quæ exactissimè intellexerat, facit Daniel, dum Abraham & Israëlitis merita opponit iræ Dei? Videant hic, quæso, pij num Lutheranorum, Anabaptistarum, Calvinistarum, & Sectariorum doctrina, de meritis Sanctorum cum scriptura cōueniat Patriarcharum, Prophetarum, & Apostolorum. Certè Daniel, dū Sanctorum merita iræ Dei opponit, non proprij cerebri somnia sequitur, sed verbum Dei, Isa. 37. quod tanti apud Deum esse Sanctorum opera docet, vt ipsorum intuitu aliis misereri velit Deus. Protegā, inquit, ciuitatē istā propter me, & propter Dauid seruum meum. Est autem in hac materia fidei veritas, & Ecclesiæ doctrina scripturis confirmata, merita Sanctorum esse Dei dona, nec nisi ex spiritu Christi inhabitantis proficisci, vt merito nō sint contēnenda, sed magni æstimanda, atque etiam apud Deū meritoria. Vide August. Epistola 105. eiusque

Merita Sanctorum.

Merita Sanctorum Dei dona sunt.